

Personales ab essentiâ, quidditates rerum inter se & à Deo in esse cognito, prædicata superiora ab inferioribus, Genus à differentia essentiâ ab existienciâ: explicat eam Rhada, quod sit inter duas realitates seu formalitates in subiecto identificatas diversas verò in ordine ad intellectum; differre à Rationis distinctione, quòd hæc requirat ante se operationem mentis in actu, Sed mirè perplexi sunt & inconstantes, ubi hæc in actu exercito applicanda sunt. Nã si hæcceitas à specie solùm differt, quod apta est distinctè movere intellectum, quàm male ad principiũ individui affertur, quod præciso intellectu quæri debet? quare necesse est majus quiddam sub eorum verbis latere. Sed id absurdum est, quodcunq; sit, simul atq; enim præciso intellectu differunt, non sunt sibi identificata.

§. 25. *Posnaniensis* illas formalitates interpretatur Conceptus objectivos & rationes intelligibiles, seu rem cum relatione ad conceptus in mente formales. Sed id nihil est, nam conceptus potiùs formalis fundatur in objectivo, si igitur etiam objectivus in formali, daretur circulus, ac dum utrumq; fundaretur neutrum, & evanesceret utrumq;. Deinde relatio illa intelligibilitatis esset vel ad conceptum Divinum, s. Ideas, sed sic illa Relatio non esset realis, non enim cadit in DEUM accidens. E. nihil superesset distinctioni à parte rei: vel ad verbum mentis, ut vocant creatum. Sed si omnis intellectus creatus tolleretur, illa Relatio periret, & tamen res individuarentur, B. tunc seipsis. Adde quod Relatio illa si esset realis haberet suam hæcceitatem, esset enim singularis, & ita in infinitum. Præterea est ad Ens in potentia, seu conceptum formalem, qui esse potest, & si dicas illam Relationem formaliter differre à termino, quæro similiter de Relatione hujus relationis in infinitum. Nam & ipsa Relatione ad intellectum indigeret.

§. 26. IV. Inexplicabile est quomodo accidentia individualia ab Hæcceitate orientur, ex nostrâ enim sententiâ facilè explicari potest, quia dantur dispositiones materiæ ad formam, nullæ verò speciei ad Hæcceitatem. *Vid. Herveyum quodlib. 3. q. 9. contra Scot. apud Perer. l. c. & Scalig. Exerc. 307. ad Cardan. n. 17* Atq; ita Divinâ ope adjuti sententias generales absolvimus.

COROLLARIA.

- I. Materia habet de se actum Entitativum.
- II. Non omnino improbabile est materiam & quantitatem esse realiter idem.
- III. Essentiæ rerum sunt sicut numeri.
- IV. Essentiæ rerum non sunt æternæ nisi ut sunt in DEO.
- V. Possibilis est penetratio dimensionum.
- VI. Hominis solùm una est anima, quæ vegetativam & sensitivam virtualiter includat.
- VII. Epistolas Tyranno Phalaridi ascriptas supposititias crediderim. Nam Siculi Doræ erant, hic genus dicendi Atticum. Adde quòd Atticismus illo tempore durior, ut Thucydidis, sed hæc sapiunt ætatem Luciani, Certè ubi combustionem Perilli dependit, declamatorem se prodit autor. TANTUM.

Coll. diss. A. 121, mit. 35